DE

EPISTOLIS

SIVE

SANCTI BONIFACII

SIVE

AD SANCTUM BONIFACIUM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

E. SAYOUS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD DURAND

VIA DICTA DES GRÈS, 7

MDCCCLXVI

Paris.—Imprimé chez Bonaventure et Ducessois,
55, quai des Augustins.

MEDII ÆVI

EGREGIO INTERPRETI

J. ZELLER

AMICITIÆ TENUE TESTIMONIUM

DISCIPULUS MEMOR DICABAT

Illud fatetur doctissimus quisque nostris temporibus, et confirmat exemplo peritissimus quisque scribendæ historiæ, ne ipsas quidem narrationes eorum, qui suis oculis res narratas cognoverunt, per se sufficere, si quis quasi in intimam ætatis alicujus mentem inspicere velit. Itaque grates agendæ sunt diis immortalibus, quoties, optimo casu, aliqua epistolarum series, scripta ab iis ipsis, qui primas suis temporibus partes tenuerunt, eruta vetustis bibliothecis ante oculos futuri scriptoris rerum surrexit. Nemo enim, vir strenuus et facundus, suarumque rerum auctor, quæ peccaverit, quæ fuerint re ipsa diversæ diversis occasionibus agendi

causæ, tam libenter fatetur quam quum amicum alloquitur, nec posteros in mente cogitat. Quum enim scribit alicui rerum gerendarum socio, tum de negotiis tantum tractat, et multa nos docet de rebus ipsis, de legibus, de suæ ætatis moribus; quum autem amico cuidam et familiari scribit, tum, ut solet, multa de sua indole, sua ipsius natura, sua vita ipse nobis revelat. Inde facile intelligitur quanta lux, quanta veritas rebus accedat.

Quæ quum ita esse sentirem, mihi venit in mentem ex sancti Bonifacii epistolis quid invenissem de moribus, doctrinis, egregiis in Ecclesia factis et ipsius apostoli vita referre. Non equidem ignoro aliquid asperi et barbari in talibus epistolis inesse, neque illo morbo me conflictatum esse credo, quo solent laborare quicumque vix notum aut male exploratum quoddam opus in publicum proferunt: qua causa, non quasi miraculum sancti Bonifacii epistolas jactare, neque omnibus libris anteponere aggredior. Ejus enim epistolas non ausim conferre sancti Bernardi epistolis, in quibus si qua morum barbaries, si qua sermonis asperitas reperitur, saltem impetu illo eloquentiæ et flore quasi poetico compensatur. Quæ quidem scribendi virtutes in perpaucis nostri epistolis eminent; sed omnium, sive

quas scripsit, sive quæ ad eum scriptæ fuerunt, ea est virtus, ut nos ad primam octavi sæculi partem referant et quasi testes ejus ætatis efficiant.

Neque mirum nos in sancto Bonifacio. velut in speculo quodam, ejus æqualium imaginem cernere. Quam variæ enim fuerunt ejus vices! quam diversa vita! quot variis laboribus occupata! Vidit eum Roma, et Anglica tellus, et barbara Francorum aula, et Leptinense concilium et Thuringorum silvæ et Frisiorum paludes. Quemnam aut populum aut principem non novit, paparum quidem amicus, Caroli Pippinique hospes, Germanorum apostolus, Anglorum et decus et civis? Quæremus igitur in prima parte qualem se gesserit Bonifacius erga catholicam Ecclesiam et apostolicam sedem Ecclesiæ caput; in secunda qualem in mediis barbaris gentibus; quomodo totus studiis et laboribus apostolicis deditus, amicitiis tamen fidelibus, eximio quidem solatio usus fuerit.

PARS PRIMA

Cum prima floreret ætate Winfridus, primoque religionis studio flagraret, jam tum Romam, alteram patriam, sanctissimam carissimamque ante oculos habebat; jam tum desiderio et amore prosequebatur; matura autem ætate provectus, cum sacerdos factus esset, nullo periculo, nullo longinqui itineris obstaculo prohiberi potuit quin Romam, ducem et auspicem laborum suorum sanctæque militiæ quæsiturus, inviseret; cum tandem inter barbaros versaretur, et in mediis Germaniæ saltibus, sub horrido et immiti cœlo, sævis religionibus bellum indiceret, tum quoque Romam recordabatur, et quidquid mente agitabat, quidquid suscipere statuerat, quidquid dolebat, quidquid lætabatur, id sinceris et diligentibus epistolis Romanis pontificibus scribebat. Iisdem vixit temporibus quibus tres pontifices, inter omnes et prudentia et magnitudine animi excellentes, scilicet Gregorius secun-

dus, Gregorius tertius et Zacharias, cum quibus, quamdiu Evangelium Germanis prædicavit, ad ultimum vitæ terminum, epistolarum consuetudinem, ipsi carissimam, nobis autem pretiosissimam, sine ulla fere intermissione continuavit : quem epistolarum librum, non satis, mea quidem sententia, ad hunc diem exploratum, quam accuratissimo studio pervolvi, non mediocrem ad illuminandam illius ætatis historiam fructum inde relaturus. Ibi enim splendet, tanquam in optima luce, Germanorum apostolorum indoles; ibi summa Romanorum pontificum prudentia tota manifesta est.

Quas si perleges epistolas, miraberis quantam venerationem in pontificem Romanum missæ ex Germania Romam, quantum autem in Bonifacium amorem missæ Roma in Germaniam spirent; nec difficile intelligere poteris quam arcto mutuæ caritatis vinculo, dux et miles, nempe summus pontifex et humilis nec non fortis apostolus conjungerentur. Equidem fateor cancellarios apostolicos et scribas, jam illis temporibus, suas epistolas urbanissimis formulis ornavisse, utpote qui imperium jubentis temperare, et obedientis servitutem permulcere vellent. Detrahatur igitur quidquid urbanitati dari videtur. Nemo tamen mihi persuadebit vulgarem et

communem illum sermonem fuisse, quum « carissima paternitas, sanctitas tua, amantissime pater » ab ipso Antistite appellaretur[1]. Namque tota in epistola, non tantum in paucis verbis, usu et urbanitate consecratis, summa illa benevolentia et caritas apparet : quæ quidem clarior et manifestior effulget, si quis clerus a secretis aut protonotarius, vice pontificis, apostolo scribit. Tum fluunt complures amplissimæ voces, tum « nectarea paternitas, beatissimus in æthereis » vocatur ; tum labores ejus summis laudibus ad cœlum efferuntur, nec non exquisitioribus orationis flosculis decorantur : « Inter amœna prata flagrantium odorum, etc.[2]. » Quo magis apostoli de tanto loco tam blande scripta recipientis fama auctoritasque splendescit.

At ipsius Bonifacii tanta videtur fuisse obedientia, libera quidem et qualis fortem apostolum decet, quanta nullius unquam fuerat inter primos Ecclesiæ patres, dignitatem episcopatus summo studio retinentes, aut etiam inter Gallo-Romanos episcopos.

1. Vide *passim* 118-148 : Epistolæ sancti Bonifacii martyris, primi Moguntini archiepiscopi, Germanorum apostoli, pluriumque pontificum, regum et aliorum, nunc primum e Cæsareæ majestatis Viennensi bibliotheca luce, notisque donatæ, per Nicolaum Serarium, societatis Jesu presbyterum. *Mogunt.*, MDCV.
2. 147, ep.

Scribit enim Zachariæ : « Ego non aliter quam ut ante vestigia geniculantes, intimis subnixe flagitamus precibus, ut sicut præcessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti et subditi discipuli fuimus : sic et vestræ pietatis servi obedientes subditi sub jure canonico fieri mereamur...[1] » Ea est prorsus sinceræ et devotissimæ caritatis confessio, quæ sui juris esse recusans, totam se ad quodlibet opus adhibendam tradit. Itaque, quum se legatum et servum summi pontificis Bonifacius existimaret, audacis et fortissimæ militiæ sudores, illo jubente, summa lætitia perdurat, optimosque laborum fructus ei, velut duci, impertit; ita ut neminem unquam magis sui oblitum esse liqueat : « Optantes catholicam fidem et unitatem Romanæ Ecclesiæ servare, et quantoscumque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad obedientiam apostolicæ sedis invitare et inclinare non cesso[2]. »

Neque vero, quum se tam obedientem præstaret Bonifacius, non libertatis suæ meminerat; quamvis enim se servum appellet, non in servilem modum

1. Zachariæ Bonifacius, 132 ep.
2. *Ibid.*—Vide jurandæ fidelitatis erga pontifices quasi formulam, ab ipso Bonifacio in Germaniam primum profecturo scriptam. — Ante 118 ep.

mandatis, quæcumque sunt, paret, sed similior est fortissimo militi, qui se sponte devovet, nec tantum officium implet, sed et ipse per se cognoscit nec alienis indiget consiliis. Quod quidem neque Gregorium, neque Zachariam fugit; quam ob causam illi quasi quamdam dictaturam permittunt, qua ornatus a sua tantum voluntate consilium mutuari possit, et libere faciat quæcumque tantis tamque difficilibus rebus felices exitus dare possint. Quemadmodum qui in terras ignotas primi navigaverunt, earum, quas revelaturi erant, regimen habuerunt, ita Bonifacius omnium animarum, quas illuminaturus erat, pastor et rector designatur : « Coepiscopus ad illuminationem gentis Germaniæ vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus[1]. »

Nulla unquam nullis temporibus major in Ecclesia catholica potestas fuit quam instituendorum episcoporum potestas : hanc sibi summi pontifices totam vindicavere, nec facile quemquam ejus participem faciebant. Quam tamen Bonifacio commisere, atque inde manifestum est quantum illi imperium delegatum sit. Per summos enim pontifices ei licebat episcopos creare in Germania, sub ea tantum con-

1. Bonifacio Gregorius, 122 ep.

dītione, quæ Romanam prudentiam indicat, ut caveret ne quid auctoritatis tam sancta dignitas perderet, quod prorsus perniciosum fidei fuisset: « Quia vero turbas, Domini gratia, in iisdem partibus ad rectam fidem asseris esse conversas, nequire te occurrere omnibus, et quæ salutis sunt, impendere... præcipimus ut juxta sacrorum canonum instituta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore apostolicæ sedis debeas ordinare episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas episcopatus... [1] »

Quæ quidem potestas haud scio an nulli digniori viro impertiri potuerit. Nullo enim callidiore et fortiore duce christiana fides ingredi poterat barbaras illas regiones et sævis moribus bellum inferre. Bonifacius optime noverat omnem Germaniam; silvas, flumina, paludes, quæque loca repetitis itineribus scrutatus erat, visurus ubi castra, ut ita dicam, metienda essent, ubi exstruenda castella, unde velut eruptionem in barbariam milites christiani facerent; itaque civitatem Agrippinæ primus elegit quæ fieret urbs sancta, quæ Germanicis cantibus celebrata, centum ecclesiis et capellis decorata, ad flumen Rhenum posita, Galliam cum Germania

1. Bonifacio Gregorius, 122 ep.

velut sacrato vinculo conjungeret : « De eo autem quod suggessisti, quod elegerunt unam civitatem omnes Francorum principes pertingentem usque ad paganorum fides... De civitate namque illa quæ unper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia... metropolim confirmavimus... [1] »

Præterea complures erant Germaniæ partes, sive incolis vacuæ, sive silvis horridæ, quæ situ locorum peropportuna propugnacula novis apostolis fieri possent. Quale fuit Fuldense illud monasterium, quem locum Sturm, Bonifacii discipulus, in silva Boconia errabundus, tertia die, statuendæ sedi delegit. De quo ita censet Bonifacius : « Est locus silvaticus in eremo vastissimæ solitudinis; in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes monachos constituimus sub regula S. Patris Benedicti viventes... Quatuor enim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci hujus habitare dinoscuntur [2]. »

Nec tantum episcopos creare, sedes apostolicas fundare Bonifacio concessum est; sed quum nemo magis notum haberet, quæ loca sacerdotibus indi-

1. Zacharias Bonifacio, 138 ep.
2. Zachariæ Bonifacius, 141 ep.— V. Vitam sancti Sturmi (Pertz.)

gerent, quam multis cuique regioni opus esset, rem omnem ejus arbitrio Gregorius tradidit, sacerdotibusque Germanicis imperavit ut eum tanquam patrem venerarentur, eique parerent : « Bonifacium reverendum fratrem nostrum episcopum ad easdem partes dirigere statuimus, ut et illis prædicando verbum salutis vitam provideat sempiternam, et si quos forte, vel ubicumque a rectæ fidei tramite destitisse cognoverit... corrigat...; vos ei in omnibus obedite et sicut patrem vestrum, illum honorate et ad ejus doctrinum corda vestra inclinate; quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus : sed pro lucro animarum vestrarum[1]. »

Quanta autem fuerit presbyterorum penuria, quum bonæ vitæ et integræ doctrinæ testimonium ab eis exigeretur, ex sollicitudine Bonifacii pontificisque videre est, qui, quamquam stricte in ordinandis sacerdotibus canonum jussus retinere voluerat, et scripserat : « Dedimus in mandatis ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte

1. Gregorius universis reverendissimis fratribus coepiscopis, presbyteris seu diaconibus, gloriosis ducibus, cunctis christianis, etc., 123 ep.

vitiatum, notatumque ad sacros ordines permittat accedere...[1], » etiam normam ætatis, Bonifacio suadente, obliterari patitur : « Inquisisti et hoc, si ante tricesimum annum liceat sacerdotes ordinari. Bonum et congruum est, carissime, si fieri et inveniri potest, ut provectæ ætatis et boni testimonii viri juxta sacrorum canonum instituta, ordinentur sacerdotes. Si autem minime reperiuntur, et necessitas exposcit, a viginti quinque...[2]. »

Nec mirum, quum in nova christianæ fidei provincia omnia simul creanda essent, et officia et dignitates, presbyteros monachosve qui a monasteriis Britanniæ arcesserentur, non sufficere, et ex ipso Germano populo paucos religiosos viros eligi posse : qui quidem postea, opera Bonifacii peracta, Germanisque frequenter ad sacros ordines properantibus, facilius invenientur [3].

Sed dum tanta erat inopia, cavebat maxime apostolica sedes ne quis, votorum oblitus, ad sæculum reverteretur; ita ut pueri puellæve, ante in monasterium ingressi quam officia sua intelligere possent, quum ætate essent provecti, retinerentur :

1. 123 ep.
2. Bonifacio Zacharias, 142 ep.
3. V. *passim* noni p. J. C. sæculi Sanctorum vitas.

quod quidem sæpius posteris sæculis vituperatum, improbatum, ut credo, sancto Bonifacio, jam tum magnopere pontifices servabant : « Interrogasti, frater, quum pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis impleverint annos, egredi, et matrimonio copulari? Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis, voluptatis frena laxentur [1]. »

Exercitu autem ita instructo, quomodo utantur et Bonifacius et pontifex, videamus; in unum hostem, sed varium illum et multiplicem, vim faciunt, id est in paganorum superstitionem; de qua christianæ epistolæ multa nos docent; quæ quidem superstitio conflata erat ex admixtione quadam christianæ fidei cum barbara religione, ita ut Germani nondum vere Christiani, nec jam omnino pagani essent. Hanc autem superstitionem seu Bonifacii, seu pontificis epistolæ in multis locis memorant, eo tamen discrimine, quod Bonifacius, cominus pugnæ implicitus, melius hostem novit; quum pontifex, eminus prælium intuens, vix Germanicos mores ab Italicis moribus discerneret : Jovis enim et Mer-

1. Gregorius Bonifacio, 126 ep.

curii nomine utebatur, quasi de Romanis paganis ageretur. Attamen, et ab apostolo monitus, et sua ipsius prudentia ductus, ipsam Germaniam paulatim qualis sit, intelligit, atque absens, quasi suis res oculis videat, omnibus recte consulit, omnia recte administrat.

Quum populi ad crucem sponte sua gregatim accedunt, gratiæ tantum et apostolo et Deo agendæ sunt : « Et in Baioariorum provincia, quæ a te acta sunt agnoscentes, datori omnium bonorum Deo nostro, extensis ad cœlum palmis, gratias retulimus; qui januam misericordiæ et pietatis in illis partibus Hesperiis, ad cognoscendam viam salutis, ostium misericordiæ aperuit, et misit Angelum suum, qui præparavit viam tuam ante te. Ipsi gloria in sæcula sæculorum[1]. » Aut quum Turingi christiani potius martyrium patiuntur quam fidei renuntiant : « Insinuatam nobis magnificæ fidei vestræ constantiam agnoscentes, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare : repleti nimia exsultatione gratias debitas persolvimus Deo[2]. »

1. Gregorius Bonifacio, 130 ep.
2. Gregorius papa Thuringis fidelibus.

Quum autem fidei repugnant animæ, aut in errorem rursus labuntur, aut duces populorum apostolum lacessunt, tristis et pœne desperatus Bonifacius solatia Roma recipit : « Ne minæ terreant, ne dejiciant terrores ; sed fixam in Deo tenens fiduciam, veritatis verbum denuntia [1]. » Grande quidem spectaculum, quum toties eversæ Urbis episcopus Romanæ cladis exemplo solatur eos qui non sine querela adversas res patiuntur : « Et Romana civitas ex accidentibus facinoribus est depopulata : et tamen omnipotentia sua Dominus ex supernis eam dignatus est consolari. Sic etenim credimus, qnia et vos consolabitur [2].

Neque tantum aut lætitiæ aut doloris commercium erat ; sed quoties in propaganda fide aut consilium aliquod capere necesse erat, aut aliquid dubii hæsitantem apostolum retinebat, hortationes, laborum solatia, dubiæ menti consilia, Bonifacius Roma recipit. Scilicet periculum erat ne irascerentur invictum in modum barbaræ gentes, si omnia simul majorum instituta rejicere jussi fuissent, et religiones, et mores, et leges ; et in omni re eadem

1. Bonifacio Gregorius, 125 ep.
2. Bonifacio Zacharias, 138 ep.

obedientia simul exigeretur [1]. Quare pontifex aliter populum omnino conversum, neque ad veteres usus redeuntem, aliter crescentis fidei nec bene confirmatæ gentem alloquitur. Inde tantum Saxonibus imperat ut concordiam cum fidelibus servent, et liberum eis veri Dei cultum sinant, suadentis quidem sermone usus potius quam jubentis : « Hoc commoneo ut quicumque voluerit ex vobis ad Christum converti, nullo modo eum prohibeatis, neque vim ei faciatis sculptilia adorare... Nemo vos amplius decipiat in sublimitate sermonum, ut in quocumque metallo salutem vestram quæratis, adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacumque materia facta ; quæ falsidica numina a paganis antiquitus quasi dei vocati sunt... Unus enim Dominus hominum, volucrum, quadripedum, qui sit benedictus [2]... » Alibi, ut suspectam rationem habeant, admonet : « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam : astutiores enim sunt filii tenebrarum quam filii lucis. »

1. V. Bonifacio Daniel episcopus 67 ep. : « Neque contraria iis de ipsorum quamvis falsorum deorum genealogia adstruere debes. Secundum eorum opinionem, quoslibet ab aliis generatos, per complexum mariti ac fœminæ, concede eos afferre, ut saltem modo hominum natos deos ac dea, potius homines non Deos fuisse, probes, etc. »

2. Gregorius universo populo Altsaxonum, 121 ep.

At idem Gregorius Thuringos Hessosque penitus ab erroribus paganorum avulsos, cunctis quæ memoriam rituum paganorum referunt, imo paganorum hominum societate abstinere cogit : « Abstinete et prohibete vosmetipsos ab omni cultu paganorum ; non tantum vosmetipsos corrigentes, carissimi, sed et subditos vestros [1]. » Ergo Regia romana libertatis nomen, quum res exposceret, præ se ferebat, imperiumque quum res sineret, populis imponebat.

Utile quidem imperium, quum sanguinei cultus auferuntur : « Quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venumdant mancipia... Iis ergo qui hoc perpetraverunt, similem homicidæ indices pœnitentiam [2]. » Sed levia delicta, quæ velut nugas nostro tempore negligeremus, quæque existimaremus indigna quæ tanta auctoritate prohiberentur, tum sacrilegiorum loco habebantur : quia cunctæ res, seu ad corpus seu ad animam pertinentes, sub regimine Ecclesiæ pariter tenebantur ; quod quidem ad tollendam barbariam bonum erat et necessarium : « Agrestem caballum aliquantos adjunxisti comedere ; plerosque et domesticum. Hoc nequa-

1. Gregorius ad optimates et populum Germaniæ, 128 ep.

2. Gregorius Bonifacio, 122 ep.

quam fieri deinceps, sanctissime sinas frater, sed quibus potueris modis, Christo juvante, per omnia compesce, et dignam eis indicito pœnitentiam. Immundum enim est, atque exsecrabile [1]. » Interrogatusque num carnibus jam immolatis uti liceat, respondet Gregorius : « Consuluisti si a fidelibus superductum fuerit vivificæ crucis signum, edi liceret an non ? Illud sufficit respondere, quod beatus apostolus Paulus dicit : ...Nolite edere [2]. »

Morbos autem pestesque medio ævo sæpissime in populos prolapsas summa diligentia levare student et Bonifacius et pontifices ; quæ quidem pestes neque ullo remedio sanari poterant, neque ullo solatio mulceri, quum fortissimus quisque, omnium seu amicitiæ seu sanguinis vinculorum oblitus, mortem conaretur effugere ; de leprosis præsertim curabant, quos tribus post sæculis primum apparuisse falso dicitur. Non modo proprio nomine « leprosi » in epistolis designantur, sed in duas partes jam distinguuntur : scilicet alii in quibus innata pestis erat, alii autem quibus contagione aliena lepra irruperat. Jam illo tempore videmus quantopere nitatur Ecclesia seu leprosorum seu

1. Gregorius Bonifacio, 122 ep.
2. Gregorius Bonifacio, 126 ep.

morbo regio affectorum infortunia solari; quumque nondum nimis increbruerat colluvies, terrore nondum gliscente, societate hominum, saltem sacra mensa, non amovebantur : « Leprosis autem, si fideles christiani fuerint, Dominici corporis et sanguinis participatio tribuatur : cum sanis autem convivia celebrare negentur [1]... Si homines ex nativitate aut genere istius morbi sunt, hi extra civitatem conversari debebunt : eleemosynam vero accipiendam a populo non vetari. Si autem contigerit magnum vel parvum, non nativitate, sed superveniente ægritudine vexari, non est projiciendus, sed, si possibile est, curandus : attamen in Ecclesia, dum ad communionem venerit, post omnium suppletionem erit ingressurus ad participandum munus [2]. »

Decimo tertio sæculo, quum fureret maxime orientalis lepra, asperior erat et tristior sors leprosorum : ut sæpius dives homo, in sua civitate conspicuus, jam pietatis studio ad sepulcrum Christi profecturus, subita labe infamis, et a proximis suis derelictus, in hospitio ad hunc usum instructo vitam finierit. Tum quoque tam duram separationem Ecclesia nitetur lenire, sed non tantopere quantum

1. Gregorius Bonifacio, 126 ep.
2. Zacharias Bonifacio, 142 ep.

octavo post Jesum-Christum sæculo. Attamen videre est ex hac dubitatione Bonifacii ipsius, jam pietatem erga infelices terrori sæpius cessisse : «Adjecisti etiam quod si pestifer morbus aut mortalitas in ecclesia vel monasteriis irrepserit, quos necdum tetigit, a loco fugiant evitantes periculum. Valde fatuum hoc judicatur. Non enim quisquam Dei manus effugere poterit [1]. »

De minimis prætorem non curare proverbium est ; nihil est tam minimum de quo non curet pontifex : quomodo et rabidi canes et equi ab illis morsi, et equi regio morbo inquinati, aut curandi sint, aut ab aliis separandi, aut omnino desperandi, cum ingenti parvarum rerum studio docent et Gregorius et Zacharias [2].

Huc usque, nullum inter Romam christianamque Germaniam discrimen percepimus, imo unum semper animum fuisse ; nunc in diversis quibusdam sentiendi et agendi modis morari libet ; quos qui non viderit, male quidem et Germaniæ et septentrionalium ecclesiarum historiam intellexerit.

Artis scilicet politicæ parvam, si non minimam partem apud sanctum Bonifacium fuisse arbitror,

1. Gregorius Bonifacio, 126 ep.
2. Zacharias Bonifacio, 142 ep., etc.

magnam autem apud pontifices : non quod incallidus fuerit, sed ita conscientia sua domitus ut honestum utili semper anteponeret. Quidquid obstaret, potius in hoc impetum faciebat quam circuitu vitabat. Pontificum autem prudentia, jam in paganicis rebus magna, evidens fit in corrigendis erroribus et flagitiis clericorum. Omnis seu hæresis, seu sacerdotis cujusvis indignitas ingenti mœrore pectus sancti Bonifacii afficit. Quod vero in ipsius tristibus verbis facilius apparebit :

« Maxima ex parte, per civitates, episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus, et publicanis sæculariter ad perfruendum. Nam si, per verbum vestrum, hoc negotium, duce rogante supradicto, amovere et corrigere debeo, præceptum et judicium apostolicæ sedis cum canonibus ecclesiasticis præsto habere cupio. Si invenero inter illos diaconos, quos nominant, qui a pueritia sua semper in stupris, semper in adulteriis, et in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerant ad diaconatum, et modo in diaconatu concubinas quatuor, vel quinque, vel plures, noctu in lecto habentes, evangelium tamen legere, et diaconos se nominare nec erubescunt nec metuunt :

et sic in talibus incestis ad ordinem presbyteratus venientes, in iisdem peccatis perdurantes, et peccata peccatis adjicientes, presbyteratus officio fungentes, dicunt se pro populo posse intercedere, et sacras oblationes offerre : novissime, quod pejus est, sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentes ordinantur, et nominantur episcopi..... Et inveniuntur quidam inter eos episcopi, qui licet dicant se fornicarios et adulteros non esse, sed sunt ebriosi et injuriosi, vel venatores ; et qui pugnant in exercitu armati, et effundunt propria manu sanguinem hominum, sive paganorum, sive christianorum [1]... »

Idem apud Bonifacium de hæreticis gemitus, nec lene remedium ; rogat enim pontificem ut sæculare imperium in eos invocare non cesset : « De hoc quoque hæretico precor ut per litteras vestras mandare curetis duci Carolomanno ut mittatur in custodiam, ut semina Satanæ latius non seminet : nec forsitan una ovis morbida totum gregem polluat [2]. » Præsertim quum indigni sacerdotes aut episcopi in regia Francorum ducis potentes occurrunt : « Nec clerici esse possunt, nec sub pœnitentia monachi

1. Zachariæ Bonifacius, 132 ep.
2. Zachariæ Bonifacius, 135 ep.

esse volunt, sed pergentes apud palatium regis Francorum, rogant ut eis loca tribuat ecclesiarum, vel monasteriorum, ut laicam vitam vivant... [1] »

Quum indignis sacerdotibus iratus, severas de vitiis eorum epistolas Bonifacius scriberet Romam, ad summos pontifices, catholicæ fidei custodes, sperabat fore ut Romana aula non minori indignatione percita, graves in reos sacerdotes pœnas indiceret. Sed res contra vertit : modestia enim multo major et continentia apud Zachariam reperitur, imo Romana illa calliditas quæ ab antiquo senatu ad summos pontifices defluxerat : « Vel si omnino propter principalem et humanum favorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinere non valuisti, cogente necessitate ecclesiarum Dei ; et tamen in eorum consilio et consensu communionis anima tua non est coinquinata [2]. » Quam quidem sententiam rectam et utilem fuisse posteriores eventus probaverunt; sed nescio quid periculi talis habet sermo, quo utile quidquid, etsi malum sit, necessitate excusatur, et labes animi a labe corporis tam studiose dividitur.

Neque solum quidquid discordiæ, qua turbari

1. Zachariæ Bonifacius, 138 ep.
2. Bonifacio Zacharias, 142 ep.

potest Ecclesia, vitatur, sed etiam quidquid in clericos probrum injicere possit, ut publicorum judiciorum apparatus : scilicet alicujus facinoris argutis sacerdotibus licebit jurejurando se excusare, potiorque in omni casu monitio blanda videbitur quam publica reprehensio [1]. Neque tamen suspicio veniat magnos illos papas dogmatis severos et interpretes et custodes non fuisse; quippe qui, quum res sinit, ad puniendum non sint minus parati quam Bonifacius : « Hos itaque ministros Satanæ et non Christi, ubicumque reperieris, aggregato provinciali et sacerdotali collegio omnimodo devita : et a sacerdotali honore privatos, sub regula monastica et pœnitentia submissos, vitam finire ordinabis, ut carne afflicti ad viam quandoque redeant rectitudinis, et, si corde crediderint, oris eorum vera confessio illis fiat ad salutem [2]. »

Quod si non eadem est sentiendi ratio, non de integritate fidei dico, sed de regimine sacerdotum, nihil est quod miremur. Bonifacii enim et ejus sociorum novum est et fervens, ut ita dicam, studium; iisque similis qui primum in bellum ruunt, quum impetum facit in hostem, quidquid obstat non cir-

1. Bonifacio Gregorius, 126 ep.
2. Bonifacio Zacharias, 140 ep.

cumagit, sed a fronte fortiter lacessit. Pontifices contra, talia bella jampridem experti, potius vim defendunt quam inferunt, ea tamen mente, ut, quum tempus veniet, aut submittantur hostes, aut exterminentur. Quod quidem antistites semper meminerunt : etiam Septimus ille Gregorius non primum irruet in simoniacos prælatos, sed patientia quadam victoriam sibi parabit.

De bonis quoque Ecclesiæ non idem sentiebant : qua quidem re nulla gravior erat, quum in Germania christiana vix nascente quidquid ad utilitatem gentium spectaret Ecclesia ipsa susciperet, non majore animarum quam corporum cura, eoque ipso grandibus pecuniis semper indigeret. Eadem quidem mens de consumendis quæstibus : qua de re bene et prudenter jubet Gregorius, qui neque erga Deum cultus neque erga homines caritatis obliviscitur : « De reditu vero Ecclesiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones : quarum unam ipse sibi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis; quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam... [1]. » Est igitur eleemosynis sua pars in quæstibus Ecclesiæ; præterea ecclesiasticæ quo-

1. Clericis Gregorius, 124 ep.

que fabricæ. quum monachi ad colendos agros et evellendas silvas exemplo suo populos hortarentur, nonnullius utilitatis barbaris gentibus fuerunt.

Sed in parandis accipiendisque fructibus pontifex minus dubitavisse videtur, semperque ad augendam pecuniam fuisse intentus : « Ornatum ecclesiæ vel quidquid aliud est in patrimonio ejusdem non minuere studeat sed augere. » Quum tamen apostolus quæstus Ecclesiæ impendere dubitat, monet pontifex : « De censu ecclesiarum, id est solidum de cassata suscipe, et nullam habeas hæsitationem ; dum ex eo poteris eleemosynam tribuere, et opus perficere sanctarum ecclesiarum juxta canonum instituta [1]. » Tributum vero novum quum percipitur, magna est Romæ lætitia : « Ut ab uno quoque conjugio servorum duodecim denaria reddantur, ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuisti impetrare [2]. »

Attamen tantum ad acquirendas pecunias studium illo tempore ne vituperemus : quibus non inani cupididate coacervatis, sed ad magnos utilesque labores comparatis, utebatur pontifex, velut quæstor christianarum gentium.

Cæterum non de pecunia tantum agitur, sed de

1. Bonifacio Zacharias, 142 ep.
2. Bonifacio Zacharias, 138 ep.

imperio; non Zachariam fugiebat apud barbaras gentes tributum signum esse dominationis, et populos adhuc paganis vinculis retentos, sicut Sclavos, aut ægre fidem servantes, quum vectigal solverent, tum demum se subditos christianis habituros : « Et enim de Sclavis, christianorum terras habitantibus, si oporteat censum accipere interrogasti, frater. Hoc quidem consilio non indiget, dum rei causa sit manifesta. Si enim sine tributo sederint, ipsam quoque propriam sibi vindicabunt terram. Si vero tributum dederint, norunt dominatorem ipsam habere terram [1]. » Quid mirum, quum barbarorum et mores et leges tam bene noverit regia Romana, si medio ævo populos christianos sub imperio suo tanquam irretitos tenuerit ?

Subeunt postremo duæ res de quibus Bonifacii pontificumque sententia omnino differebat : altera ad Romani populi Romanæque regiæ mores spectat, altera ad baptismum, quibus legibus conferri debeat.

Non semel quidem, sed sæpissime, ubi baptismum pontifices inutilem existimant, profecto perniciosum (tantum enim hoc sacramentum esse judicabant, ut impium ducerent quicumque temere illud conferret), Bonifacius tamen baptizare non dubitat.

1. Bonifacio Zacharias, 142 ep.

Etiam vituperantibus, leniter quidem et Gregorio et Zacharia, iis sacram undam iterum largitur, qui a falsis indignisque, quorum tanta multitudo fuit, sacerdotibus eam receperant. Baptismus igitur, Bonifacio judice, tantum valebat, quum sinceris integrisque manibus datus fuisset, nulliusque erat pretii quum aut falsus aut omnino indignus erat sacerdos. Romana contra sedes formulam Patris et Filii et Spiritus sancti et necessariam esse et sufficere arbitratur [1] : itaque pagani baptismi, quorum consuetudo tunc temporis fuisse videtur, in quibus falsi Dii, non sancta trinitas invocabantur, nihil valebunt ; sed dum formula sacra dicta sit, quicumque eam dixerit, valebit baptismus. Illis autem, quorum magna sine dubio multitudo fuit, qui nesciebant utrum baptizati fuissent necne, tum demum ad sacramentum eundum erit, si nulli testes inveniri possunt, qui primi baptismi referant memoriam [2].

1. « ... Tua dilectio teneat antiquum morem Ecclesiæ, quia quisque in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizari liceat minime, 126 ep. — qui a presbytero Jovi mactante et immolatitias carnes vescente, ut babtizentur præcipimus, 122 ep. — In 134 ep. a Zacharia reprehenditur Bonifacius quod iterum baptizaverat : quod audientes nimis sumus conturbati. »

2. « Pro parvulis qui a parentibus subtracti et an baptizati sint vel non ignorant, hos ut baptizare debeas secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificet, ratio poscit 126 ep. »

Ita de baptismi sacramento non idem sentiunt ; quod ad romanos mores pertinet, multo magis evidens fit Bonifacium aliquid indomiti suæ gentis ingenii, etiam in tanta erga sedem romanam obedientia, retinuisse : Germanus enim est Winfried, illa scilicet oriundus gente, quæ seu in Scandinavia, seu in Anglia, seu in Batavia, seu in ipso veterum Germanorum solo, adversus Italicos mores romanamque potentiam invictam mentem servavit. Videamus enim quæ Romano populo, sacræ Urbis severus censor, in quadam epistola exprobraverit : « Affirmant se vidisse annis singulis in Romana Urbe, et juxta Ecclesiam in die vel nocte, quando kalendæ januarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas, et acclamationes, ritu gentilium, et cantationes sacrilegas celebrare, et mensas illa die vel nocte dapibus onerare.... Dicunt quoque se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria et ligaturas et in brachiis et in cruribus ligatas habere ; et publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre....[1] »

Tempore redivivarum artium, decimo sexto post J. C. sæculo, Germanus alter, alter Saxo monachus, conspecta Romanæ urbis specie, non poterit quin

1. Zachariæ Bonifacius, 132 ep.

indignetur ; qua quidem indignatione percitus, animos reformatorum, redux in patriam, adversus pontifices incendet. Bonifacius autem fidelissimus Ecclesiæ romanæ manebit, sed cum summa verborum libertate, quod quidem ex hac epistola apparebit : « Reperimus etiam in memoratis tuis litteris, quæ nimis animos nostros conturbant, quod talia a te nobis referantur, quasi nos corruptores simus canonum, et Patrum rescindere traditiones quæramus, ac per hoc (quod absit) cum nostris in simoniacam hæresim incidamus, accipientes et compellentes quibus pallia tribuimus, ut nobis præmia largiantur..... sed, carissime frater, hortamur Sanctitatem tuam, ut nobis tale aliquid deinceps minime tua fraternitas scribat, quia fastidiosum a nobis et injuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur quod omnino detestamur. Absit enim a nobis et a nostris clericis ut dona, quæ per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venumdemus.... Absit ut sic quiden a tua fraternitate criminis nobis simoniaci objiciatur nomem. Anathematizamus namque omnes quicumque ausi sunt donum Spiritus sancti pretio venumdare.... [1]. »

Utrum pulchra quidem et vehementi illa epistola

1. Bonifacio Zacharias, 143 ep.

omnino aulam suam excuset pontifex, necne, mihi non exquirendum est : quippe qui non sacræ sedis historiam scribere aggrediar. Sed quod ad Bonifacium christianamque Germaniam pertinet, ex omnibus illis epistolis videmus, in duas partes clericos germanos dividi : alteri enim corrupti, barbari, sæcularibus bonis dediti, jam pontificibus Bonifacioque invisi, a Gregorio septimo debellabuntur ; alteri contra, sede Romana austeriores, et rebus Italicis infensi, Lutheri ecclesiam a catholica Ecclesia divident.

Quod si plus magnitudinis habet liberalis, ut ita dicam, quam servilis obedientia, multo magis placebit Bonifacius dignitatis suæ non oblitus, quam si penitus submissus fuisset. Gregorius vero uterque vel Zacharias, quum nihil majus sit quam in imperio modestia, ex ipsa quam Bonifacio permittebant libertate grandiores videbuntur.

PARS SECUNDA

Quemadmodum civitates ad flumen Rhenum positæ, scilicet Moguntiacum aut Agrippina, mediam inter Germaniæ Galliæque fines partem occupant; ita Bonifacius quasi medium locum tenebat, semper in alterutram partem, quum res juberet, paratus ire, inter infideles populos aut pro veterum deorum aris rebellantes, et barbaras quidem, sed jam Christo conversas gentes. Christiani enim poduli apostolo ipsi egebant, præsertim quia sacerpotes harum regionum in barbaram ferociam jam corruerant.

Quod ad Francos pertinet, Bonifacius quasi romanus ad Carolingios duces legatus fuisse videtur : qui quidam, tam stricto cum pontificibus fœdere conjuncti, jam regiam coronam, mox imperialem laurum adipiscentur. Sed nihilominus, quum tanta negotia tractat, in quibus non magis de spiritualibus agitur quam de sæcularibus rebus, asperum

censorem et morum et doctrinæ sese præstat. Itaque ad Danielem episcopum, tanquam patrem alterum ipsius scribens, se Carolo Martello potius necessitate quam amicitia conjunctum esse fatetur : « Sine patrocinio principis Francorum nec populum regere, nec presbyteros vel diaconos, monachos vel ancillas Dei defendere possum, nec ipsos paganorum ritus et sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato et timore, prohibere valeo. Cum autem ad illum de istis causis auxilium quærens pervenero, a talium communione abstinere catholice nulla tenus corporaliter possum, nisi tantum a consensu illorum [1]. »

Etenim ad Carolum Martellum a Gregorio secundo missus quum primum iter ad convertendos Germanos aperire sibi tentaret, nonnullum auxilium a duce receperat : qui quamquam non veræ fidei suspicionem præbebat, intellexerat tamen quanti sua referret converti Germanos. Sed nihilominus ingemit Bonifacius quum tantum temporis sine ullo Gallicæ Ecclesiæ concilio effluxisse videt : « Dux Francorum me accersitum ad se rogavit : ut in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, synodum facerem congregari ; et promisit se de Ec-

1. Danieli episc. Bonifacius episc., 3 ep.

clesiastica religione quæ jam longo tempore, id est, non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare velle.... Franci enim, ut seniores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicui fundabant, vel renovabant [1]. »

Hæc non Carolo Martello regnante, modo quidem defuncto, sed Carolomanno, qui, cum Pippino consentiens, Bonifacium a se rogatum fuisse fatetur « quomodo lex Dei et Christiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruit. » Quod effecit Leptinense concilium, cui totam operam impendit Bonifacius, quodque sub pænitentiam reos sacerdotes redegit, episcopalem disciplinam restituit, vetuit clericos arma ferre et sanguinem vel ferarum fundere ; neque prohibuit quin principes bonis Ecclesiæ uterentur, dummodo utilitati Ecclesiæ consulerent [2]. Sunt et litteræ utriusque fratris, Carolomanni Fuldense monasterium grandibus terris et summis privilegiis do-

1. Zachariæ Bonifacius, 132 ep.
2. Hæc Leptinensis concilii decreta, vel apud Serarium, vel apud Pertz reperiuntur.

nantis, Pippini confirmantis hæc privilegia, quæ magnam inter Ecclesiam Carolingiosque fuisse benevolentiam demonstrant, erectione Pippini ad regnum mox probatam [1]. Sed et in dissensionibus, non asperiorem sese Bonifacius erga duces, quorum opera tam necessaria erat, præbuisset.

Liberius autem regis Merciorum Ethelbaldi et bonam justitiam laudat, et exprobrat morum levitatem, tanquam de superiori loco, falconibus tamen dono missis ad regem : « In hoc valde contristamur, quia et in conspectu Dei flagitium, et coram hominibus famæ vestræ confusio esse dinoscitur. Et adhuc, quod pejus est, qui nobis narrant, adjiciunt quod hoc scelus maxime cum factimonialibus et sacratis Deo virginibus per monasteria commissum sit. Nam hoc peccatum duplex esse non dubium est. Ut verbi gratia dicamus, cujus vindictæ reus sit puer apud Dominum suum, qui uxorem Domini sui violaverit, quanto magis ille, qui sponsam Christi, creatoris cœli et terræ, putredine suæ luxuriæ et libidinis commaculaverit [2]. »

Si regum barbarorum luxum, præsertim majestatis altarium oblitum, tam aspere reprehendit,

1. Bonifacio Pippinus, I51 ep.
2. Bonifacius ad Ethelbaldum regem, 19 ep.

minus etiam dubitat vituperare populos. Francos enim, ut jam vidimus et infra videbimus, Saxonesque iisdem solutis moribus indulgentes quibus reges, vehementer objurgat : « Opprobrium namque generis nostri patimur, sive a christianis, sive paganis dicentibus quod gens Anglorum, spreto more cæterarum gentium, et despecto præcepto apostolico, legitimas uxores dedignetur habere ; et hinnientium equorum consuetudine, vel rudentum asinorum more, luxuriando et adulterando omnia turpiter fœdet et confundat[1]. » Quemadmodum primos Patres, Marci Aurelii virtutem admirantes, sui pudebat, ita non sine quodam pudore recordatur mores paganorum Germanorum ab adulterio abhorruisse.

« Ipsi pagani, verum Deum ignorantes, naturaliter quæ legis sunt, et quod ab initio Deus constituit, custodiunt in hac re, quia propriis uxoribus matrimonii fœdera servantes, fornicatores et adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum cum adulterio maculaverit, vel si mulier maritata, perdito fœdere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam pro-

1. 19 ep. — 105 ep. Cuthberto Bonifacius : « Perpaucæ civitates sunt in Longobardia vel in Francia in qua non sit adultera vel meretrix generis Anglorum. »

pria manu per laqueam suspensam vitam finire, et super bustum illius incensæ et concrematæ corruptorem ejus suspendunt : aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cædentes et vestimenta ei abscindentes juxta cingulum, et cultellis suis totum corpus ejus secantes et pungentes, minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villa ad villam mittunt, et occurunt semper novæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, usque dum eam aut mortuam aut vix vivam derelinquunt, ut cæteræ timorem adulterandi et luxuriandi habeant; et Winedi, quod est fœdissimum et deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonii amorem mutuum servant, ut mulier, viro proprio mortuo, vivere recuset; et laudabilis mulier inter illas esse judicatur, quæ propria manu sibi mortem intulit, ut in una strue pariter ardeat cum viro suo [1]. »

Raræ quidem istæ Germanorum laudes, et apud sanctum Bonifacium, et apud omnes seu octavi, seu noni sæculi scriptores, qui scholam ejus, ut ita dicam, post ipsius obitum secuti sunt. Episcopi enim, apostoli, monachi, in chronicis, monasteriorum annalibus, sanctorum vitis, carminibus historicis,

1. 19 ep.

rebellium in fidem gentium perjuria, apostasim, impiam cæcitatem vehementer increpant[1]. Grandis quædam, indomita in suppliciis martyrioque caritas, ad salutem animarum eos impellebat; sed, postquam vicerant, nullam eis suadebat erga victòs patientiam; paganos enim non tam infortunatos quam sontes sceleratosque habebant, qui corpora sua pro diis suis, moribus, libertate contra irrumpentem Christum opponerent, generosa quidem propugnacula. Dura sunt Bonifacii sæpissime verba in populos quos « carnales homines, teterrimos hominum » vocare solet; fateturque se multum pœnituisse quum percurreret « tenebrosos angulos Germanicarum gentium[2]. »

Nihilominus tamen baptizat, condit, prædicat; homiliæque ejus, si non multum re litteraria valent,

1. V. præter ipsius Bonifacii epistolas, sanctorum vitas, præsertim Sturmi et Willehadi, chronicos, præsertim Laureshemii monasterii, sed multo magis Saxonem pœtam :

Saxonum natura ferox, et pectora dura,
Ferre jugum Christi necdum dignata suave...
Donec gentili ritu cultuque relicto,
Christicolæ fierent, aut delerentur in ævum :
O pietas benedicta Dei, quæ vult genus omne
Humanum fieri salvum !... quia noverat hujus
Non aliter gentis molliri pectora posse,
Disceret ut cervix reflectere dura rigorem
Ingenitum, mitique jugo se subdere Christi.

2. Epist. *passim*.

neque magni oratoris famæ sufficiunt, impigræ tamen voluntatis sunt documenta : in quibus luxuria mariti, non magis quam uxoris toleranda, negligentia jejuniorum, quæ non sterilia quidem erant, sed utilia pauperibus, denique superbia et contumacia impugnantur [1].

Populos autem non tantum ipsos alloquitur quantum sacerdotes, quibus corrigendis, emendandis, monendis, ut deinde populos corrigant, emendent, moneant, totam operam impendit. Gregem enim, errante pastore, bonam viam sequi non posse existimat. ut in aliqua homilia : « Presbyteri vero et totius clerus sanctæ Ecclesiæ, qui in servitio Dei stare debent, die noctuque omnimodis irreprehensibiliter vivant coram sæcularibus, et in omni loco, ut bonis illorum exemplis erudiantur multi. Et sit illorum meditatio in lege Dei, et in servitio ecclesiastico die noctuque, non sint ebriosi, nec avari, nec verbosi in conviviis, nec divitias in hoc mundo quærentes, sed in cælesti regno æternum sibi thesaurum præparantes. » Hæreses vero multiplices,

1. V. homiliam *De gemina justitiæ operatione :* « Angeli de cœlo per superbiam ceciderunt... Et viri uxores suas diligant, et castitatem quam illi quærunt ab uxoribus suis faciant illi prius... Jejunia publica in castitate custodiant, et eleemosynis ornent jejunia sua, ut quod sibi detrahunt pauperibus largiantur. »

nec minus Romanam quam olim Byzantinam ecclesiam perturbantes, maxime eum sollicitant; quas quomodo et ipse et regia romana tractaverint jam vidimus; nunc quales fuerint in Germania Galliave, quid haberent et puerile et grave, Bonifacio teste, expediam.

Primum duabus epistolis constat pari odio omnes hæreses, sive majores, sive minores, Bonifacium prosecutum esse, tanquam pejores hostes quam ipsa erat pagana religio : « Semen verbi quod de sinu Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ sumptum, et nobis commendatum seminare aliquantulum studemus, illi cum lolio superseminare et suffocare nituntur, vel in herbam pestiferi generis convertere. Et quod plantamus, non irrigant ut crescat, sed evellere student ut marcescat : offerentes populis et docentes novas sectas et diversi generis errores... Catholica et apostolica romana Ecclesia... præcepit mihi... si alicubi viderem, inter christianos pergens, populos erroneos vel ecclesiasticas regulas mala consuetudine depravatas, vel homines per invium a catholica fide abductos, ad viam salutis invitare et revocare totis viribus niterer [1]. »

Multas tamen formas error induit. Inter quas

1. Bonifacius Danieli, 3 ep. — Ecberto, 8 ep.

primum videamus hæresim quamdam quæ potius in moribus quam in doctrina reperiebatur; quæ quidem hæresis omni crimine clericos liberat, et ab omni judicio removet, quantiscumque vitiis polluantur, quantacumque scelera admiserint. Profecto frangit canones Ecclesiæ qui ad clericorum dignitatem et disciplinam episcopalem spectant. Unde colluvies illa, toties a Bonifacio deplorata, presbyterorum episcoporumve omni lege solutorum, qui in venatione et bello vitam degentes, bestiarum hominumque sanguine redundantes, ad sacra altaria tamen immemores pergebant : « Quidam autem affirmant, quod plurimum populo nocet, homicidas vel adulteros in ipsis sceleribus perseverantes, fieri tamen posse sacerdotes. Populi autem, juxta dictum apostoli, sanam doctrinam non sustinent... » et passim. Quas quidem intimas pugnas dicebat esse, multo magis quam *forasticas*, id est cum paganis, periculosas [1].

In quo cum Bonifacio omnino consentimus; non modo dogmatica quædam doctrina agitabatur, sed Ecclesiæ magnitudo et totius humani generis fortuna; quod quidem, si sacræ dignitates sanguineis manibus commissæ fuissent, hominum neque ava-

1. Danieli Bonifacius, 3 ep.

ritiæ neque violentiæ oblitorum, rursus ad novam quamdam paganitatem rediisset, antiquorum deorum cultu multo funestiorem, quæ, corpore et anima una dominatione oppressis, ipsius Byzantiæ turpitudines longe præteriisset.

Est et alterum hæresium genus, quæ pœnitentias supra naturæ vires, supra etiam rationis sapientiam evectas fidelibus suis imperant; quod quidem nescio quid puerile habet, nec non periculosum. Ecclesiæ enim non magis nimiæ quam omnino nullæ pœnitentiæ placent; semperque conciliis provisum est ne quid contra naturam homines libenter paterentur. Alii contra hæretici falsis diis, non Jovi quidem aut Apollini, ut reliqui in Italia pagani, sed Odino Thorove sacrificia offerebant : « Quidam abstinentes a cibis quos Deus ad percipiendum creavit ; quidam melle et lacte pascentes se, panem et cæteros abjiciunt cibos... Presbyteri qui tauros, hircos diis paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum [1]. »

Aliis denique erroribus multo major gravitas inerat; qui dogmaticas quæstiones, sexto decimo sæculo schismata suscitaturas jam attigerant. Aldebertus enim quidam inutile arbitratur pergere Romam,

1. *Ibid.*—V. sancti Bonifacii vitam, scriptam a Willibaldo.

ad sacra limina, vinculumque ita cum Romana Ecclesia societatis jam solvit. Imo, sanctorum nominibus abjectis, ecclesias sine nomine dedicat, ingenti discipulorum multitudine; inter quos multas mulieres esse non inficetus Bonifacius notavit : « Penetravit multorum domos, et captivas duxit post se mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducebantur variis desideriis [1]. » Ille quidem, memor veteris Germaniæ, templis Deum non includit, sed ubicumque, præsertim ad fontes, oratoriola facit, quod magis etiam Bonifacius indignatur. Confessionem sterilem esse profitetur, neque confiteri populos vult, sed gratia Dei peccata, priusquam sacerdoti revelentur, obliterata declarat, quod maximum scelus contra Deum videbatur. Eadem Clemens quidam similis hæreticus [2].

Quum autem tot et tam variæ superstitiones, seu paganæ, seu falso christianæ in medio essent, nulla hæresis simplex erat et integra, sed in unaquaque hæresium nescio quid puerile necnon insanum reperiebatur; Bonifacio saltem teste, apud quem malevolentiam quamdam suspicari forsan debeamus : « Pietas vestra audiens vitam ejus judicet ex fructu,

1. Zachariæ Bonifacius, 135 ep.
2. *Ibid.* V. *passim.*

utrum vestimentis ovium indutus (Aldebertus), intus autem lapus rapax fuisset, an non. In primæva ætate hypocrita fuit, dicens quod sibi angelus Domini, in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ et tamen incertæ sanctitatis reliquias attulisset : et exinde potuisset quæcumque poposceret a Deo impetrare... Ungulas suas et capillos dedit ad honorificandum, et portandum cum reliquiis sancti Petri principis apostolorum [1]. » Reperiimus tamen in his hæreticis odium et Romanæ auctoritatis et sanctorum cultus et confessionis : quibus præcipue institutis bellum Lutherus inferet.

Quibus autem armis arcebat Bonifacius a clericorum animis paganitatem, hæresim, barbariam? Non iisdem quibus hiberni monachi, Columbanus Gallusque, insignes quidem viri et egregiæ pietatis, sed quorum pietas aliquid triste et fastidiosum forsan redolebat, quæ aufugiens ab hominum societate, a turba sejuncta, in silenti monasterio inclusa, semperque in Christi crucifixi imagine defixa, placidæ virtutis potius quam laboriosæ vitæ exemplum præbebat. Laborare contra monachos jubet Bonifacius, et laborantibus partes dividit [2]. Monasteria

1. 135 ep.
2. 17 ep., Bonifacius quibusdam monachis.

enim non otiosæ pietati destinata esse putabat; dignus quidem qui dixisset multum esse oratio-tionis in labore, aut sicut Septimus Severus imperator « laboremus, » etiam in lethali lecto; monachos scilicet proprio manuum suarum labore « contentos esse » jubet. Qua mente, et totius monasterii opus, et cujusque fratris disterminat [1].

Jus erat, imo officium abbatis totam regere communitatem; qui quum abesset vel mortuus esset, Bonifacius monachos precatur ut ob hoc ipsum regulam diligentius observent quod, exstincto patre, rectore indigeant. Nec dubium quin abbas laboris non expers esse, ceteris contra exemplum esse debeat.

Domesticis autem regendis duo vel amplius fratres committuntur, quibus servorum nomen datur, non quod aliquid servile eorum munus habeat, sed monasterio inserviebant tanquam coloni jam perquam necessarii monasteriis, latius agros possidentibus, qui paludibus adhuc, ut tempore Taciti stagnantes, silvisque horridi, multorum opera egebant, ut vastæ solitudines securibus et falcibus in divites campos converterentur.

Coqui vero, culinæ tantum destinati, magnus

1. *Ibid.*, 17 : Bonifacius quibusdam monachis.

fuisse labor non videtur, dum regula, auctore Bonifacio, carne et vino abstinere jubebat. Durius « operarii » officium, qui cum summa libertate et arbitrio, quidquid ad fabricas monasterii aut ædes omnis modi spectaret, providebat. Neque grandes illæ Clunensium ædes jam structæ erant, magnum occupantes spatium, largis mœnibus circumdatæ, sed jam capellas, refectorium, culinam, fœnilia granariaque, domosque servorum exstruere opus erat.

Oportebat quoque scholas ad puerorum [1] usum ædificare, quas instituere non minus studebat apostolus quam Carolus ipse Magnus; minimeque mirum fuisset, si hæc grandia capituli cujusdam verba apud Bonifacium reperirentur : « Quamvis melius est bene facere quam nosse, prius est tamen nosse quam facere. » Duo enim fratres, qui et legere regulam, facilius in monachorum mentibus obliteratam, et horam nullam labore vacuam esse pati debebant, iidem litteras quoque pueros docebant. Quare sacros libros, grandibus litteris scriptos ad rudes Germanorum oculos aptioribus, ut sibi mittant, amicos quos in Britannia reliquerat precatur [2].

1. V. quoque 92 ep. Bon. Fulredo presbytero : « Infantes ad legendas litteras ordinati sunt, etc. »

2. V. epist. ad Eadburgam, Buggam, Danielem, etc. Magna quoque tunc erat Bedæ veneratio. 89 ep.

Amicos amicasque dico, propinquos propinquasque fere dicere ausim; scilicet cum monachis, episcopis, monialibus, abbatissis, sive suis familiaribus quum puer in Britannia viveret, sive suis sociis, cum in Germania pro fide pugnaret vir factus, dulcissimum epistolarum commercium sine ulla intermissione continuavit; quæ quidem societas est velut quædam spiritualis familia, verecundia quadam et devotissima caritate, et ferventi sinceraque pietate excellens, posterorum memoria et veneratione digna.

Danieli primum, quem vice patris verebatur, quidquid tædium aut anxietatem afferebat, liberius etiam quam pontificibus scribebat : « Sunt nobis, juxta canonum instituta, non solum foris pugnæ et intus timores, sed etiam intus pugnæ simul cum timore, maxime per falsos sacerdotes... » Et cœcum Danielem a quo tot solatia receperat, ipse solatur : « Nuper quoque, revelante presbytero, qui a vestra præsentia in Germaniam venit, corporalem orbitatem vobis contigisse cognovi... Habes, mi pater, sicut Antonius de Didymo fertur dixisse, oculos quibus potest Deus videri, et angeli ejus et supernæ Hierusalem gloriosa gaudia speculari. Sapientia et patientia tua confidens, credo quia hoc Deus ad per-

fectionem vestram tibi dedisset. Quid enim sunt corporales oculi, nisi, ut ita dicam, maxima in parte, veraciter fenestræ peccatorum. » Ipsi vix parcere eumdem morbum confitetur, quum prophetas a Daniele petit : « Claris et absolutis litteris, qui caligantibus oculis minutas ac connexas litteras discere non possum. » Simplicia tandem munera adjicit : « Per Forthereum presbyterum litteras et parva munuscula, propter indicium puræ caritatis, transmitto vobis; id est casulam non holosericam, sed lanugine caprina mixtam et villosam ad tergendos pedes dilectionis vestræ [1]. »

Nec minus abbatissam Buggam, tanquam filius matrem, amore prosequebatur, quæ sæpius illi victorias in paganos gratulabatur; nec minus Eadburgam abbatissam, quæ eum, non immemorem quidem, in mediis ærumnis amicitia sua levaverat : « Sæpe sive solamine librorum, sive vestimentorum adjuvamine pietas tua tristitiam meam consolata est [2]. » Mea quidem sententia, tam aspero, tam fero dicam tempore, gratus ille animus Bonifacium sociosque sanguineis ejusdem temporis viris multo meliores grandioresque fuisse demonstrat.

1. Bonifacius ad Danielem, 3 ep.
2. V. 28, 35 ep.

Inter omnes eminet eximia mente, et insigni erga Bonifacium caritate, junior quædam monialis, nomine Lioba, id est in germanico sermone *dilecta*, quæ, citra quidem omnem libidinis suspicionem, amantissima Bonifacii fuit. Parentibus jam vergentibus in senium nata, qui puerum puellamve si quam acciperent, altaribus Domini se devoturos eam juraverant, sub Eadburgæ discíplina omni, ut illa ætate cultu mentis instructa fuerat, maximaque obedientia studioque erga sanctam Ecclesiam flagrabat. Bonifacius autem, qui parentes ejus novisse videtur, quum vellet Germanos in fidem rebellantes, feminarum exemplo et dulcibus illecebris, in Ecclesiæ societatem reducere, quo melius id assequeretur, Liobam anglicarum monialium, a Britanniæ monasteriis accitarum, ducem instituit. Quo quidem nescio an nunquam melius aliquid providerit, quia et laborum peritissimam comitem habuit, et senectutis suæ solatium [1]. Exemplum enim et tanquam optima figura feminalium conventuum, imo officina christianarum mulierum fuit monasterium Liobæ; neque ulla sancta domus erat, quæ discipulas ejus allicere non conaretur : cohors quædam ad convertendas Germanicas mulieres normalis instituta.

1. V. Vitam sanctæ Liobæ.

Quantum autem postea profecerit videre est. Sexaginta enim post annis, Caroli Magni exercitus non magis ultimas deorum paganorum reliquias delebunt quam pacifici Liobæ labores. Feminæ enim antiquam barbariam deseruerant, neque Velleda ulla aut prophetissa in Witikindi acie surrexerat; omnes autem illius temporis chronici, plerumque vitæ sanctorum, christianarum feminarum referunt memoriam [1].

Qua vita cognita, qualem Lioba cum Bonifacio sese gesserit, ex unius epistolæ fragmentis expediam : rarum quidem tolerandi octavo sæculo sermonis et non nimis barbaræ latinitatis documentum : « Utinam, licet sim indigna, merear te in fratris locum accipere, quia in nullo hominum generis mei tanta fiducia spei posita est mihi, quanta in te. Hoc parvum manusculum mittere curavi, non ut dignum esset tuæ almitatis adspectui, sed ut memoriam parvitatis meæ retineas, nec longa locorum intercapedine oblivioni tradas : quinimo veræ dilectionis ligaturæ reliquum nodetur in ævum. Hoc, frater amande, enixius flagito, ut tuarum orationum pelta muniar contra hostis occulti venata jacula [2]. »

Nemo vero tam sanctus est qui nullum humanæ

1. V. vitam sanctæ Idæ.
2. Lioba Bonifacio, 36 ep.

vanitatis vestigium retineat : scilicet eleganter loquendi cura laborat, quod eo magis liquet, quod suam rusticitatem incusat : nemo enim, urbane loquendi vere incuriosus, sese ipse rusticitatis argueret. Ceterum fatetur, non sine sui laude, se versus latinos facere posse, quod ex ipsius verbis feminas in monasteriis didicisse constat : « Istos autem subterscriptos versiculos componere nitebar secundum poeticæ traditionis disciplinam, non audacia confidens, sed gracilis ingenioli rudimenta excitare cupiens, et tuo auxilio indigens. Istam artem sub Eadburgæ magisterio didici... .

Ergo non solum sanctitatem sancti Bonifacii miratur Lioba, sed politiorem humanitatem; neque immerito; nam rem litterariam ingenti studio curat et Bonifacius et tota ejus schola, ita ut suspicionem affectationis non fugiat, et, sine ulla necessitate, pronus sit ad memoranda, quæ noverit, Claudiani Ausoniive carmina; at neque Virgilium, neque Ovidium, futuras medii ævi delicias. Etiam in quibusdam familiaribus litteris, nescio quod rotundum dicendi genus, nescio quid accuratius affert. Ita ad Nichardum juvenem : « Dum exactrix invisi Plutonis, mors videlicet, cruentatis crudeliter frendens dentibus in

1. Lioba Bonifacio, 36 ep.

limine latrat, tum tremebundi et omni suffraggio destituti animam pariter pretiosam et fallacem gazam cui avari diu noctuque sollicite inserviebant, subito amittentes perdent : et exinde diabolicis rapti manibus, teterrima subeunt claustra herebia, æterna luituri supplicia. »

« Gloriosæ ac veræ pulchritudinis venustatem acquire, id est divinam sapientiam quæ est splendidior auro, speciosior argento, ignitior carbunculo, splendidior topazo [1]. »

Etiam versus ipse ad juvenem amicum mittit, ut in salutis via permaneat :

Vale frater, florentibus
Juventutis cum viribus :
Ut floreas cum Domino
In sempiterno solio,
Qua martyres in cuneo
Regem canunt æthereo
Prophetæ apostolicis
Consonabunt et laudibus :
Nicharde, nunc nigerrima
Imi cosmi contagia
Temne fauste tartarea.

Quibus Liobæ ad Bonifacium carmen adjicere libet :

Arbiter omnipotens, solus qui cuncta creavit,
In regno Patris semper qui lumine fulget,

1. Bonifacius Nichardo, 1.

Quâ jugiter flagrans sic regnet gloria Christi,
Illœsum servet semper te jure perenni [1].

Germanica nimis musa, quam latini flores potius deteriorem quam splendidam faciunt; tristes sunt isti flores, coloribus variis destituti; apostolus enim et monialis nihil nisi sacros libros noverunt : qui fit ut, quidquid dicant, mox ad thelogicam doctrinam revertatur, et antiqua poesis res, quibus nata non esset, celebrare cogatur [2].

Attamen, quamvis rudes sint illi versus, nonnullius utilitatis eos fuisse arbitror : duri enim laboris sæpe solatia fuerunt, sola quidem in ima barbaria quæ ad ingenii cultum spectarent, solaque lucis in obscuro cœlo vestigia; quod majus est, imitatores multos sequenti sæculo excitabunt, multosque chronicos qui, ut « poetæ Saxonis » carmina, christianorum egregia facinora cantabunt, et fidei victoriam.

Alia quoque ex familiaribus litteris utilitas proficiscitur; nempe intimam Bonifacii naturam revelant, nosque docent quibus cogitationibus semper impulsus fuerit, quæ tristia anxiaque passus sit, quo vitæ tædio laboraverit, qua æternæ vitæ spe

1. 36 ep.
2. V. longa eademque obscura Aldhelmi carmina, ep. 69.—V. ep. 68.

sublatus sit usque ad illum diem. quo laboriosam vitam insigni martyrio consummavit.

Hoc maxime per se ipsum curabat, hoc aliis suadebat ut ante oculos summi judicis « cum multiplici sanctarum animarum lucro » apparerent; sed hoc ipsum non sufficere arbitratur si propriæ salutis et intimæ naturæ cura negligitur : « Dum cæcis proprias tenebras ignorantibus et aspicere nolentibus lumen evangelicæ veritatis offerre nitimur, tenebris propriorum peccaminum non involvamur, et non in vacuum curramus[1]. » Precandum est igitur, et sacri libri legendi sunt ; qnod quidem præceptum apud clericos non sæpissime reperitur.

Sic vitatur diabolus, qui jam octavo, si non tantum quantum posteris sæculis, magnum tamen jam omnium animis terrorem affert. De inferis quasi quoddam carmen scripsit Bonifacius, nempe narrationem, a quodam monacho sibi ipsi relatam, qui se avulsum a vita crediderat. videratque, ut aiebat, vitæ futuræ mysteria Quæ quidem narratio nos docet simpliciores quosdam inferos tunc speratos fuisse quam tempore Dantis. sed non omnino dissimiles. Videmus enim multa, si non tam varia supplicia, et inferiora etiam loca, maximis peccatori-

1. 11 ep. – V. vitam S. Bonifacii, et *passim* ep.

bus reservata. Purgatorium autem multo simplicius et minus longum exspectabatur, de quo sanctum Bonifacium scribentem audiamus : « Igneum piceumque flumen bulliens et ardens miræ formidinis et teterrimæ visionis cernebant. Super quod lignum pontis vice positum erat, ad quod sanctæ gloriosæque animæ ab illo secedentes conventu, properabant, desiderio alterius ripæ, transire cupientes, et quædam non titubantes constanter transibant. Quædam vero labefactæ de ligno cadebant in tartareum flumen ; et aliæ tingebantur quasi toto corpore mersæ ; aliæ autem ex parte quadam veluti ad genua, quædam usque ad genua medium, quædam vero usque ad ascellas. Et tamen unaquæque cadentium multo clarior speciosiorque de flumine in alteram ascendebat ripam, quam prius in piceum bulliens cecidisset flumen. Et unus ex beatis angelis de illis cadentibus animabus dixit : « Hæ animæ sunt quæ post exitum mortalis vitæ, quibusdam levibus vitiis non ad purum abolitis, aliqua pia miserantis Dei castigatione indigebant, ut Deo dignæ offerantur... » Et de peccatis quæ sibi exprobrari monachus crediderat : « Et se ipsum audiisse omnia flagitiorum propria peccamina quæ fecit a juventute sua, et ad confitendum aut ne-

glexit aut oblivioni tradidit, vel ad peccatum pertinere omnino nesciebat, ipsius propria voce contra illum clamasse, et eum ditissime accusasse, et specialiter unum quodque vitium, quasi ex sua persona in medium se obtulisse, dicendo, quodam : Ego sum cupiditas tua, qua illicita frequentissime et contraria præceptis Dei concupisti; quodam vero : Ego sum vana gloria, qua te apud homines jactanter exaltasti; alio : Ego sum mendacium, in quo mentiendo peccasti ; alio : Ego sum otiosum verbum quod inaniter locutus fuisti ; alio : Ego torpor et desidia in sanctorum studiorum neglectu; alio : Ego somnolencia... ; alio : Ego sum negligentia et incuria[1]... »

Tanta propter levia peccata anxietate, tanto salutis desiderio melius intelligitur ardor ille martyrii, tædiumque et impatientia vitæ, quæ senem Bonifacium, quinque et septuaginta annos natum, ut archiepiscopalem sedem tandem sancto Lullo relinqueret et ad mortem curreret, impulerat. Deum scilicet in morte sicut in vita confiteri volebat ; jamdiu, supremam horam prævidens, Fuldense monasterium futurum sibi sepulcrum destinaverat ; non sibi soli, sed et Liobæ quam juxta se, amore quodam spirituali nondum exstincto, sæcula transire

1. Tota quidem narratio digna est quæ pervolvatur.

summo studio optabat [1]. Quumque evangelio supra caput posito, ferro paganorum cecidisset [2], corpus ejus, ut aiunt Fuldenses monachi, tanquam sancto animo adhuc spirante, in aliis locis sedere noluit; ita ut, invitis aliis monasteriis, tam gloriosarum reliquiarum curiosis, in Fuldensi fuerit sepultus; quod corpus in bellis Caroli Magni contra Saxones ingenti studio monachi tuebuntur : cujus in conspectu sepulcri Germanis redibat in mentem apostoli fides, et pietas, et erga populos caritas, litterarumque cultus et veneratio.

Jam nostri epistolas pervolvimus, ex quibus gravioribus rebus saltem refertas scrutati sumus, vitamque sancti Bonifacii et labores sequi et cum epistolis comparare nisi sumus; imo, quamvis in angustis liminibus, pontifices et clericos et duces et gentes tristis quidem temporis sed fidei victoriis gloriosissimi, quantum potuimus, interrogavimus. Utinam in quibusdam locis partem illam medii

1. V. vitam sancti Bonifacii, vitam sancti Sturmi. Omnia fere octavi aut noni sæculi monumenta probant quantus fuerit cultus in memoriam Germanorum apostoli. (Poeta Saxo, etc.) V. 70 ep. Cuthberti ad Lullum; 78, Æardulphus Lullo.

2. Jam de Frisiis Stephano papæ scripserat Bonifacius : (97 ep.) « Magna pars illorum adhuc pagana est, qua destructæ ecclesiæ, fundamenta diruta et a paganis conculcata... »

ævi illuminare mihi datum fuerit; saltem Bonifacius melius et clarius nobis appareat.

Magni quidem animi vir fuit, grandisque voluntatis potius quam præclari ingenii; utilis tamen illis temporibus et tenebris etiam sæculi splendidior : ita ut excellere inter omnes Christianæ Germaniæ conditores, et totam seu ecclesiasticam seu laicam sui ævi societatem videatur.

Ceterum in eo erat aliquid excelsum, quod omni tempore et in omni rerum statu prorsus eminuisset, eumque insignem inter æquales fecisset. Uni enim proposito totam operam, totam vitam impendit : id est animorum lucro, quibus ad salutem ductis, ad salutem ipse duceretur.

De quo fonte omnia manant, seu bona seu mala : tanto enim ardore raptus, modum aliquando excedit; imo Bonifacius asperitatis aliquoties et crudelitatis suspicionem haud removet. Iniquum erat semper, ut fecit, sæcularem vim, feram cupidinem Francorum ducum in paganos suscitare. Melior est, nec dubitem, et dulcior, et sanctior animarum victor quam Carolus Magnus, quia martyrium sibi, non imperialem laurum exposcebat; sed vexandorum paganorum qui resisterent auctor fuit : scilicet Saxonum cædes ejus discipuli laudabunt,

et ipse si vidisset forte non fuisset indignatus.

Sed tantum abest ut natura talis fuerit, ut contra nimiæ caritatis causa fuerit immitis : amore enim, nimio amore animarum, sicut sanctus Ludovicus rex, neque a carceribus neque ab ipsis suppliciis abhorret. At nullo alio modo sese probavit tanta caritas? Multis quidem aliis : dulcedo quædam, tempore Caroli Martelli et Luitprandi mira, in familiaribus ejus epistolis multisque locis splendet; fortis quidem animi dulcedo, ad martyrium tendentis. Amicisque non paucis utitur, sed quasi totum gregem pastor [1], totos populos tanquam liberos diligit ; in futuraque vita defixus, hujus tamen vitæ non negligens, ipse novæ Germaniæ tanquam creator, grandes silvas evellendi, agros colendi, domus urbesque condendi auctòr primus fuit et exemplum.

1. 102 ep. Bonifacius Fulredo, presbyt.: « De his omnibus sollicitus sum, ut, post obitum meum non disperdantur. »

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII jun., ann. MDCCCLXVI

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,

PATIN.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.